



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Octauus. Contemplantationem negatiuam etiam paulatim ab infimis ad medias, & superiores fruitiones ascendere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

sticæ, ad nunc præsens & instans. Atque tum similibus operationibus ad quietem contemplationis pertinentibus, fruitionem diuinam ordinato progressu incipiet, ac iucundè admodum continuabit, incipiendo à minimis per media vsque ad summa, vnde consequenter dicitur,

Contemplationem negatiuam etiam paulatim ab infimis ad medias & superiores fruitiones Ascendere.

ARTICVLVS OCTAVVS.

QVod si mysticus contemplationis negatiuæ, (vt dictum est) operationes suas triplici distinctione digesserit; animaduertet pariter, se in initio status contemplationis aliter, quam in progressu, & in summo perfectius, regionem contemplationis percurrere. dum enim fortè tribus (plus minus) annis, ad statum suum conformiter operatur, in initio contemplationis negatiuæ reperiet sinceras, & animosas tendentias, per quas & creaturas, & ea, quæ ad intra habere videtur, transcendit longè supra seipsum; at in medio paulatim vicinior effectus ijs, quæ supra se conspexerat, ipsam suam interioritatem quoque eleuatam mirabitur, & inferiora sub se videbit: In summo autem prius eleuata, sibi penè equalia habebit, in ijsque simplicem figet aspectum tanquam qui in alto monte habitaculum suum construxerit; etiam ijs, quæ in medio ante fuerant, in inferiori constitutis. quod autem hæc admodum iu-

cundè fiant, quando spiritus in summo depuratus fuerit, consequenter dicitur,

In superiori regione contemplator negans, meliores fruitiones vt plurimum consequitur, vsque ad initium priuationis.

ARTICVLVS NONVS.

SPirituale illud solatium, quo omnium mysticorum animi à transuentium rerum affectu absconduntur; contrario quasi progressu in statu contemplationis accidit. Contemplatores enim affirmatiui, cum amorosis tendentijs ab ipso exordio internæ exercitationi vacent, similibus blandimentis vsque ad superiores operationes contemplationis demulcentur: in ipso tamen summo non vsque; adeò benè affecti propter affectuosas tendentias, nondum sufficienter ad puras operationes spirituales, depuratas. At contemplatores negatiui, cum modico solatio tempore meditationis, aspirationis, & contemplationis in inferiori regione affecti fuerint, vel quod aridioris humoris sint, & naturæ, vel quod solatijs amorosis inferiorem hominem frui non permiserint, continuis transcendentijs sensitiua deprimentes, tandem in media, & superiore regione, quasi collectum thesaurum spiritualis solatij inueniunt: in eoque tanquam in propria sphaera circumuolitantes, spiritualiter spiritualia, & mentis pulchritudines, subtiliori lumine percipiunt. Vix etiam dein, si ad vltiora procedunt in statu priua-

a Vt latius 2. p. Dec. 6.